

2451

C O D I C E S

2452

logus porro operis ita inchoat: *Uniuersis in christo ihesu religiosus ad quos presentes peruenerint et presertim sub Regula S. Augustini militantibus — Animarum Zelus ymmo christi karitas me compellit, ut aliqua ni fallar salutaria licet plerisque minus suauia &c.* Sequitur mox divisio in tres *Particulas Monacharii, Dyetarii et Locarii* nomine; in prima agetur de tribus *substantialibus Regule cum suis oppositis annexis atque dependentibus. In secunda de septem horis canonicis — cum suis significationibus, In tertia qualis debeat esse Religiosus in omni loco.* Nulla has inter *Particulas* proportio; dum enim *Prima Capitibus* plusquam CLXXXII. constat et usque ad fol. 242. porrigitur, reliquae duae *fol. 26.* absolvuntur. Adjungitur deinceps *fol. 268. p. 2.* nova *Traetatio* hoc *Praeloquio: Post consummationem superioris tractatus insurrexit quedam Noua secta malignantium aduersus regularem obseruantiam non solum impugnantes substantiam rei sed etiam peruertentes significationem nominis dicentes obseruanciam permerdanciam et quandam esse Ribaldariam. Contra tales blasphemus subponentur bic tria Capitula.* Horum I. agit de *Excellentia Rei et Nominis Obseruantiae.* II. de ejus *Corruptoribus.* III. de *Praelatis carnalibus,* quos rigidus noster *Legum Vindex Tauros pingues* adpellat, toto opere designans et acriter carpens labascentem multorum in *Germania* coenobiorum conditionem,

quae tandem *Sec. XVI.* ineunte ruinam dedit.

## DCXLI.

Codex chartaceus, interpositis quibusdam membranis, lat. *Sec. XV.* Folior. 368. 4. a diversis conscriptus, et quondam *Monasterii ad D. Pantaleonem O. S. B. Coloniae,* sequentia complectitur: I. *Traetatum de Vita Monastica colloquentibus Magistro et Discipulo,* cujus initium: *Instantibus tuis precibus. ymo tuis propositis auctoritatum rationibus et spe mercedis quam me consecuturum promittis &c.* Autoris *Asceseos* perquam periti, et, ut videtur, ad *Institutum quoddam Coenobiticum* pertinentis nomen non reperio. *Finis: sed ei a quo cuncta bona procedunt offeratur christo ihesu qui est super omnia deus benedictus in secula Amen.*

II. *fol. 95.* *Aliqua notabilia sancti Thome et aliorum doc. de sacramento eukaristie.* Veluti *Catena* ex *Thoma, Augustino, Ambrosio, J. Damasceno, Hugone, Gregorio &c.* hujus initii: *Scire debes quod sacramenta noue legis sunt septem &c.*

III. *fol. 107.* *Ex dictis sancti Thome. Jo. Gerson et H. Gorichem et aliorum de sacramento altaris in quantum habet vim precij satisfactiui et de modo applicandi.* Initium: *Celebrans pro quanto est organum ecclesie representans christum &c.* Exponuntur obligationes *Missae sacrificium pro aliis offerentium.*

IV.

2453

## A S C E T I C I.

2454

IV. fol. 111. Tractatus epistolaris, quo ventilatur Quaestio: *An securius esset feruore quodam celeri ad uirtutum perfectionem tendere? An melius sit paulatim progredi neque nimis festinare?* Initium: *Beatus homo quem tu erudieris domine &c. Ps. 93. venerabilis et perdilecte pater ac frater attonitus miror super tanta humilitate uestra &c.*

V. fol. 115. Instructio, qua ratione Monachi consulti sententiam suam proferre et consilia sua ad mentem Praefectorum adcommo- dare debeant, siue de *Proclamationibus in Capitulo*. Fronti inscriptus est: *Bartholomeus ruremundanus sacre Theologie professor, quem Carthusianum illum habeo, cujus Quaedam Cod. DCCCCLXIII. indicantur. Incipit ille: Reuerendi patres. Aduer- sare in nobis dona spiritus sancti ne pereant &c.* Instructionem hanc in *Bibl. Petreji* p. 19. notari putem hoc rubro: *Instructio quo pacto religiosus in publicis se habere tractatibus debeat.*

VI. fol. 119. De pollutione seu illusionem nocturna. qualiter impediatur sacerdotem ab officio missae. et qualiter non. ex dictis sanctorum Doctorum. Initium: *In primitiva ecclesia hic mos fuisse perhibetur &c.* Ad modum *Job. Gersonis* in simili argumento.

VII. fol. 121. Quaestio: *Utrum Contractus emptionum reddituum — in quibus ponitur unus denarius emptus perpetue pro duodecim denarijs aut pro XII. cum dimidio con-* Denis *Codd. Theol. V. I. P. II.*

*cessa venditori reemptionis gratia sint liciti ac legitimi.* Cum responso *Reſtoris* et *Universitatis studii Colon.* sequentes tres Conclusiones continente: *I. Emptiones perpetuorum reddituum sunt licite, si datur pretium secundum communem estimationem iustum et fiant in rebus que habent usum ab eis distinctum. II. Non vitatur contractus emptionis eo quod dato iusto pretio datur venditori gratia reemptionis. III. Ad determinandam iustitiam vel iniustitiam contractuum requiritur circumscriptio circumstantiarum, siue conditionum.*

VIII. fol. 122. Quaestio similis applicata Domibus Religiosorum et ut fert inscriptio decisa in *Concilio Constan. per Doctores XIV.* qui sunt *Cardinalis Cameracens.* (*Petr. de Alliaco*) *lumen Theologie.* *Cardinalis Florentin.* (*Franc. Zabarella*) *lumen Iuris.* *Job. Gerson.* *Job. de Nouo Lapide L. D.* *Job. de Ceruo L. D.* *Job. Bau L. D.* *Nic. Ford D. V. J.* *Ardicinus de nouaria.* *Henr. Durer D. Decret.* *Henr. Sticher D. Decret.* *Job. Forburg D. Decret.* *Theodoric. de Monasterio D. Theol. Fac. de Zuzato O. P.* *Nic. de Spira O. Carm.* Qui varias responsis suis conditiones adponunt.

IX. fol. 125. *Quomodo in breui tempore homo possit fieri contemplatiuus perfectus.* Initium: *Quicumque per contemplationem uult venire &c.* Adhaerent, ejusdem, ut videtur Autoris Considerationes asceticae breues, quarum jam tertia mutila.

K k k k k X.

2455

## C O D I C E S

2456

X. fol. 129. Collectanea quaedam e dictis PP. *Augustini, Gregorii, Hieronymi, Isidori, Bernardi* &c. miscella.

XI. fol. 131. Variorum Senfa de dicto *Augustini*: *Nullum peccatum adeo est veniale, quod dum placet non fiat mortale. Item de Confessionis reuelatione.*

XII. fol. 139. *Determinatio pulchra de pluralitate beneficiorum cuiusdam eximii doctoris sacre theologie.* Incipit: *Uicium auaricie et eterne saluti contrarium esse habere plura beneficia quorum quodlibet sit ei sufficiens secundum statum sue persone multipliciter ostendi potest* &c. Adhaerent Varia alia de Vita et Moribus Clericorum.

XIII. fol. 149. *Sermo seu homelia Beati Gregorij pape de officio sacerdotum seu predicantium et de omnibus prebendatis.* In illud: *Designauit dominus et alios* &c. *Luc. 10.* Incipit: *Dominus et saluator noster fratres karissimi aliquando nos sermonibus* &c. et habetur edit. *Maur. Paris. 1705. T. I. col. 1496. ordine XVII.*

XIV. fol. 155. Opusculum inscriptum: *De scientia scire mori.* Diversum ab *Arte Moriendi* saepius indicata et incipiens: *Cum omnes homines natura scire desiderant, o summa et eterna sapientia* &c. Est enim Dialogus inter hanc et *Discipulum* bonae frugis. Finis: *et peruenias ad locum immortalitatis et felicitatis eterne.*

XV. fol. 160. p. 2. *Edicio optima Innocencii III. super orationem dominicam et habetur in dictis suis super Canonem.* Initium:

*Pater noster qui es in celis. Nota quod oratio dominica multis ex causis ceteris orationibus antecellit* &c. *Lotharii Diaconi Card. deinceps Innocentii III. Libri Sex de Mysteriis Missae non tantum inter Opera omnia Colon. 1552. f. sed separatim etiam prodire Lipsiae 1534. Antverpiae 1540. f.*

XVI. fol. 165. Collectanea de variis ad Religionem pertinentibus ex dictis PP. *Augustini, Gregorii, Innocentii, Bernardi, Hugonis* &c.

XVII. fol. 177. *Sermo de Praeparatione ad Mortem in illud: Dispone domui tuae* &c. IV. Reg. 20. Post invocationes solitas incipit: *Materia epistole hodiernae de qua haec uerba sumpta sunt est de illo virtuoso rege Ezechia* &c.

XVIII. fol. 183. *Epistola magistri henrici de Hassia.* Incipit: *Amicorum sincerissimo virtutis et scientie meritis Reuerendo Domino E (berhardo) de yppelborn ecclesie Maguntine Decano H. langensteyn dictus de Hassia suorum minus* &c. *Audiens nuper de digniori promotione vestre persone honorande consolatus sum pariter et quodammodo conturbatus* &c. *Monita opportuna pro Personis in dignitate sacra constitutis. Inter alia: Quod si ut ore saluatoris pronunciatum est, de omni verbo ocioso quod locuti fuerint homines super terram reddent rationem in die iudicii, quid erit de omnino ociosis et infructuosis bonorum ad dei gloriam ecclesijs assignatorum consumptionibus, et dilapidationibus, in equis lasciuois, in familia multa, in deliciosis epulis,*

in

2457

## A S C E T I C I.

2458

*in conuiujs sedulis, in vasis preciosis, in vestibis curiosis, in aibus rapacibus, in canibus venaticis, et in huiusmodi abusibus vanitatis &c. Epistolam hanc, quod sciam, nemo indicavit. Eberhardus de Ippelbrunn Decanatum ab a. 1384. ad annum mortis 1418. gessisse videtur.*

XIX. fol. 189. p. 2. *Legenda beati Erasmi. Initium: Beatus Erasmus nobilis genere sed fide nobilior fuit episcopus anthiochenus, qui cum esset annis iuuenis &c. Finis: dixit et oratione facta obdormiuit. Nec cum Mombratio, nec cum*

*Pet. de Natalibus ad 5. Iun. nec cum Bollandianis ad 2. Iun. phrafi consentit.*

XX. fol. 192. p. 2. *Auctoritates sanctorum. Quasi dicas Collectanea e PP. Bernardo, Augustino, Beda, Anselmo, Chrysostomo &c. de diversis ad Fidem et Mores pertinentibus.*

XXI. fol. 198. p. 2. *Miraculum de origine ordinis Carthusien. Notum illud de Doctore Parisino ter in feretro exclamante, et Brunone inde commoto solitudinem petente. Subjecti sunt hi Versiculi:*

*Anno milleno quarto quoque si bene penses  
Ac octogeno sunt orti Carthusienses.  
Hijs ortum tribuit excellens Bruno magister  
Post hoc ipse fuit Pape (Urbani II.) consulque minister  
Hinc beremum pecijt diuino pneumate flante  
Et populos adijt calabros vbi vixit vt ante  
Iunelis namque sibi socijs terrestria spreuit  
Et tumultus ibi cum summa pace quieuit.*

Accedit et istud Distichon:

*Anno milleno centeno tercio deno  
Cisterienses sunt orti si bene penses.*

Et brevis Relatio de D. Brunone.

XXII. fol. 201. Oratio habita in Synodo Basileensi contra Eugenium Papam a quodam Iur. Can. Doctore fortasse Lud. Pontano de Roma, aut Nicol. de Tudeschis dicto Panormitano. Initium: Reuerendissimi &c. primum diligenter mente reuoluens verbum illud elegans quod ex ieronimo refert sufficienter Gracianus &c. Acris est

*Eugenii accusatio et Concilii in eum concitatio, ita ut scribat Auctor: Nemo iniustum arbitrabitur, si Ecclesia ad scisma ex Eugenio proueniens extirpandum magis quam ad grecam heresim subuertendam instancius vacauerit &c. Praecipua porro accusationis capita sunt: Quia eius causa fit — quod diuersis in locis vna in solidum vniuersaliter*

K k k k 2

liter

*liter representari videatur ecclesia.*  
 — *Decreta sancte synodi pro morum reformatione salubriter edita non suscipit. uel si sint suscepta non seruat.* — *Ecclesiam non mediocriter calumpniatur. aduersus eam non parum est impius et inordinatus, dum ad uniuersos ecclesie principes literas dirigit attestantes ecclesiam in eum varia crimina falso confinxisse.* — *Negat ecclesiam congregatam supra se potestatem habere.* — *In criminibus notorie ecclesiam scandalizantibus admonitus ut se corrigat manet incorrigibilis.* His addit et Haeresim, finitque in textu Epistolae Concilii Africani ad Celestinum Papam: *nec a nobis excommunicatos ultra in communionem uelitis accipere.*

XXIII. fol. 220. Collectanea Sententiarum Moralium e PP. maxime ad Praelatorum officia pertinentium.

XXIV. fol. 229. Series five Cedula duplex Propositionum, quarum prior XV. altera IX. Theses Potestatem Papae supra Concilium Generale affirmantes continent. Conclusiones item II. prior: *Quod recedere de neutralitate seu ultralitate (utralitate?) sit necessarium.* altera: *Quod de necessitate salutis sit esse cum domino eugenio.* Thesis I. incipit: *Claves ecclesie soli petro et pro se sunt date &c.* Ad finem horum omnium: *Sequitur declaratio circa propositiones prime cedule superius annotatas, cujus principium: Consideratio prima que respicit primam propositionem superius positam in principio uidelicet illam, Claves eccle-*

*si soli petro &c.* Atque ita per ordinem omnes illae Theses et Conclusiones memoratae magna eruditione theologica examinantur et refelluntur. Ferventibus Basileae turbis Eugenioque Ferrariae degente Examen istud institutum esse, quivis videt. Ast, ut illud Bartholomaeo Carthusiae Ruremund. Priori tribuam, cum illud facit, quod Autor aliquoties ad Considerationes et Advertentias suas, quales Cod. DCCCCLXIII. damus, provocet, tum, quod etiam Scriptum proxime sequens ad illum pertineat.

XXV. fol. 247. *Auisamenta eiusdem patris prioris Ruremunden. missa ad capitulum generale. Initium: Oculo circumspeditionis late circumducto angustat me undique consideracionis latitudo &c.* Multus est Autor in commonefaciendis Suis, ne temere inter Basileenses et Eugenium aliquid statuant, nec dicant, *quod qui resident sub dominio illius teneant cum illo, et qui sub dominio alterius teneant cum alio, ne ex hoc totus ordo videatur fouere diuisionem lamentabilem scismatis &c.* Manifeste tamen stat pro Concilio, unde nec persuadere sibi potest Bullam missam studio montispeffulani de scitu et voluntate Domini Eugenij sic nuncupati emanavisse.

XXVI. fol. 250. Ejusdem Tractatus de Autoritate Concilii gen. supra Pontificem, qui incipit: *Videtur modestia imperantis &c.* et legitur Cod. paullo supra cit. Hic vero subscriptus est: *Explicit iste tractatus per quendam religiosum fra-*

2461

## A S C E T I C I.

2462

fratrem Bartholomeum sacre theologie professorem priorem domus cartusienf. ordinis in ruremunda compilatus. Quod falsarius quidam delere nifus est.

XXVII. fol. 264. Sermo ad Clerum in illud: *Adaperiat cor uestrum in lege sua* &c. II. Maccab. 1. Initium: *De sacra machabeorum Historia breuiter coram dignitatibus (uestris) patres honorandissimi verba proposita sunt* &c. Nihil difsimulat, neminem palpat Orator. Inter alia: *Amplius sunt inter pastores et confessores quidam sacrilegi legata ad pios usus in suum conuertentes abusum. Vnde et hec colonienfis fabrica per sepius defraudatur.* Hinc Locus innotescit.

XXVIII. fol. 272. p. 2. Oratio habita, dum tres Theologiae Doctores crearentur, in illud: *Inuenient te tres viri ascendentes ad dominum. I. Reg. 10.* Initium: *Ad te gloriosa sacre theologie sapientia sermo hic dirigitur* &c. Tota allegorica de tribus Hoedis, tribus Tortis Panis et una Lagena Vini.

XXIX. fol. 277. Adparatus pro Sermone de sex Virtutibus Jesu Christi, in illud: *Induimini dominum Ihesum christum. Ad Rom.* Initium: *Sicut dicit b. augustinus in quodam sermone de aduentu domini. Ad conuiuium patris et filij et spiritus sancti intraturi* &c.

XXX. fol. 286. Sermonum Hexas, quorum I. habitus ad quandam Congregationem generalem Religiosorum, Anno, ut fert subscriptio, domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. 15<sup>o</sup>. in crastino sancti georgij qui fuit pro tunc V<sup>o</sup> Ita feria pasche, in il-

lud: *Principes populorum congregati sunt cum deo Abraham Ps. 46.* incipit: *Honorabiles patres. Sane nobis considerantibus sacrarum passus scripturarum* &c. II. Synodalis, in illud: *Ibunt hij in supplicium eternum, iusti autem in vitam eternam. Matth 25.* incipit: *Venerabiles et ewangelici viri* &c. ad uestras circumspicias dignitates licet insufficiens a Domino Officiali curie Colonien. missus ewangelista &c. III. de Caritate, in illud: *Super omnia autem caritatem habete* &c. *Ad Coloss. 3.* incipit: *Dicit Gregorius: facile omne bonum virtutis temptatione cordis irruente destruitur* &c. IV. de Eadem, in Idem incipit: *Loquere filiis israel ut proficiantur* &c. V. de Cogitationibus Dei et Hominum, in illud: *Ego cogito cogitationes pacis.* Incipit: *Est introitus presentis dominice et sumitur ex Ieremia c. XXIX.* Vbi aduertendum quod cogitat homo peruersus, cogitat homo iustus, Cogitat deus &c. VI. de Assumptione B. V. M. in illud: *Multe filie congregauerunt diuicias* &c. *Prov. ult.* incipit: *Verbum istud exponitur de beata virgine* &c.

XXXI. fol. 319. Dicta Petri de Palude Ep. Parisen. in Traet. de Potestate Papae adplicata ad Schisma inter Gregorium XII. et Alexandrum V. *Iste valens doctor, ait Nolter, qui composuit hunc tractatum iam forte sunt elapsi centum anni uel ultra ita clare loquitur de presenti scismate et informat nos ac si esset presens. Tuetur porro Gregorium: Nec deus voluit potestatem tollere ab Urbano (VI.)*

K k k k 3

ut

2463

C O D I C E S

2464

ut daret Clementi (VII.) postea intruso. et sic nec modo vult tollere nec voluit a Gregorio ut tradat Alexandro, concluditque: *Ex quibus clare liquet quod nullus purus homo aut consilium hominis aut consilia potuerunt dominum gregorium deponere de papatu.*

XXXII. fol. 326. Species Gulae excerptae e *Lepra morali Job. Nider* O. P. Notata varia theologica. Excerpta item e *Michaelis de Bononia* O. Carm. *Expositione super Psalterio.*

XXXIII. fol. 340. Quaedam ex *Alberto M. de B. V. M.* Solutiones III. Quaestionum, quarum Prima: *Quare de femina, et quare de femina virgine et quare de femina virgine desponsata christus nasci vo-*

luit? Respondet ad hanc *Fr. Jacobus Sprenger* O. P. famofus deinceps per *Germaniam* Inquifitor Fidei. Secunda: *Si homo non peccasset an rosa sine spinis germinasset?* Tertia: *Cur Iudas non meruerit veniam pro Christi tradicionem cum tamen egerit penitenciam?* His satisfacit *Fr. Thomas de dor-draco.*

XXXIII. fol. 348. Excerpta e variis PP. maxime *Hieronymo*, de Obedientia, Castitate, Officio Moderatorum, Monachorum, Sacerdotum, de vigiliis &c. etiam e Scriptis suppositiis.

XXXIV. fol. 360. *Incipit Disceptatio anime peccatricis cum corpore in extremis.* Rhythmi sunt, quorum initium:

*O care miserrima quis te sic prostravit  
Quam mundus sic prospere pridie ditavit &c.*

Itaque Exemplum imperfectius illo, quod *Cod. CCCXXIX.* occurrit. Adhaerent varia PP. Dicta et Verficuli de Morte.

## DCXLII.

278 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc. 321. f. per 2. columnas scriptus currente calamo Asceticus est, et praemisso Indice ab hac orditur Praefatiuncula: *Notandum quod opus subsequens seu liber seu tractatus intytulatur Malagranatum. Qui tractat de triplici statu religiosorum videlicet Incipientium Proficientium et Perfectorum &c.* Tribus itaque Partibus constat, et sic incipit: *Fili*

*accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia &c.* Forma dialogica est inter Patrem et Filium. Collatus cum editione anni 1487. sine nota loci, char. goth. f. in L. III. Dist. 3. c. 3. his verbis: *emitti possit oratio* — deficit. Legitur porro ad calcem dictae editionis: *Explicit dyalogus dictus Malagranatum compilatus a quodam venerabili abbate monasterij Aule regie in Bohemia ordinis Cysteriensis.* Abbas is, ut post *Tribemium* in *Scriptt. eccl.* n. 652. docent recentiores, *Gallus* est Scriptor Sec. XIV. vergentis, nec liquet, qua ratione ductus *Bob. Balbinus* in *Bob. doctae* P. II. p. 161. opus nostrum *Matthaeo* itidem *Aulae Regiae* Mo-